

## ***IULIUS FEMINAM PULCHRAM IN FORO TUSCULANO ASPICIT***

Iulius cum servo suo Davo in foro Tusculano est; ii in Tusculanis viis ambulant. In foro multi mercatores libros, ornamenta et animalia vendunt, itaque multi homines, qui emere volunt, in foro adsunt.

Sed ecce pulchra puella cum viro suo ante Albini tabernam, in qua ornamenta venduntur, consistit. Iulius ipse ornamentum emere vult, quia femina sua aegra est: caput enim ei multum dolet. Cum Iulius ante tabernam consistit, feminam videt; eam feminam pulchram esse putat, itaque eam aspicit. Femina pulchra Lydia est et vir Medus est, sed iam Medus discedit, quia Iulium videt. Iulius servum baculo verberare vult, servus autem verberari non vult. Lydia anulum aspicit, sed ea satis pecuniam non habet. Iulius, qui bonus vir est, Davum interrogat: «Quem anulum ea aspicit?» Et Davus: «Hunc anulum ea aspicit, sed hoc ornamentum magnum pretium habet; ille anulus autem parvum pretium habet». Lydia Iulium foedum anulum emere et se petere videt. Lydia a taberna abit, et ante Philippi tabernam, ubi animalia venduntur, consistit. Sed Iulius non procul ab ea est et cum foedo anulo ante tabernam Philippi consistit. In taberna aves, pisces canesque venduntur. Iulius Davo imperat: «Sume hunc canem, Dave.» Sed canis bestia fera est, et etiam tam magnus quam equus. Itaque Iulius alium parvum canem emit atque eum Lydiae dat. Lydia canem accipit, sed laeta non est. Iulius tristis est, quod Lydia neque anulum neque canem vult, immo ea perterrita est, quia hic canis quoque ferus est.

Ergo Iulius cum servo suo ad villam revenit et anulum Aemiliae, canem autem liberis suis dat.

Lydia irata plorat, quia Medus abest.

*Valeria Rama*